

III. Epistola continens Historiam C A L C U L I
 in Vesica sponte fracti, & per Urethram feliciter
 excreti ; ad Illustrem Generosissimumque Virum
D. F R E D. D E T H O M, Serenissimo DUCI
B R U N S V I C E N S I E T L U N E B U R-
G E N S I a Consiliis, Oratorem ejus apud
 Potentissimum **M A G N Æ B R I T A N-**
N I Æ R E G E M, nec non **R. S. S.** a **L A U-**
R E N T I O H E I S T E R O, M. D. Prof.
 Botan. in Acad. Julia Helmstadii, & **R. S. S.**
conscripta.

CUM nuper, Vir Præstantissime, qualemcunque
 apparatus ineum & Anatomicum & Chirurgicum
 & Botanicum, aliasque res & naturales & præter-natu-
 rales inspicere dignatus sis, atque inter alia Calculos
 Vesicæ in homine vivo in vesica sponte fractos, & per
 urethram feliciter excretos Tibi demonstraverim, si-
 mulque monuerim, hoc quam rarissime contingere, &
 propterea solutionem calculi in vesica a quam pluriinis,
 atque cum primis etiam ab Anglis recensioribus impos-
 sibilem haberi pronunciarique, rogasti, ut Tibi propediem
 in Angliam redeunti, frustula nonnulla horum calculo-
 rum cum brevi quadam historia sive descriptione darem,
 quæ Academiæ Regiæ Londinensi, cuius membrum es
 dignissimum, offerres, ut Ipsa insolitam atque inusitatam
 hanc rem videre, ulteriorique scrutinio subjicere, imo &
 incredulos rem ita vere actam esse persuadere possit.
 Quare cum præcipue id mihi negotii datum esse existi-
 mem, ut verum in unaquaque re pateat, atque scientiæ ar-
 tesque liberales hoc ipso melius perficiantur atque auge-
 antur,



antur, mitto Tibi hac occasione nonnulla horum cal-
culturum frustula, cum brevi & vera actæ rei historia.

Est nimirum his in terris Brunsvicensibus in Cœ-
nobio seculari, quod *Marienthal* appellatur, & ad
horæ circiter distantiam ab Helmstadio, celebri
Academiæ Juliæ sede, situm est, rerum teconomicarum
hujus Cœnobii Praefectus, nomine Widmannus,
Vir sexagenario major, sed robustus & dure vitæ
victusque generi adsuetus, qui per plures annos primo
calculo renuin sæpe & vehementer laboravit, eorum
que sensim magnam copiam, quorum multi Pisi mag-
nitudinem superarunt, per iter urinæ haud sine magnis
doloribus excrevit. Tandem vero quatuor ab hinc an-
nis calculi quoque vesicæ omnia percepit symptomata,
ita, ut sæpe non nisi maximis cruciatibus in pubis &
perinæ regione perceptis urinam excernere voluerit.
Tandem vero anno 1728, postquam aliquamdiu variis,
ut fieri his in casibus solet, usus erat remediis, & in-
primis Tinctura antinephritica, ut vocant Lipsiensi sive
Rothiana, atque simul cerevisiam illam his in regio-
nibus contra calculum celeberrimam, quæ Regiæ Lu-
teræ vulgo **Königs-Lutter**, oppido Brunsvicensi, coqui-
tur, & quam **Duchstein** appellant, hancque ob cau-
sam in loca sive urbes remotissimas devehitur, continuo
pro potu ordinario hauserat, aliquando veheinentes
inter mingendum dolores, nisum & constrictiōhem in
vesica, sensimque eo ipso, ac si calculus, sive calculi
in vesica frangerentur ac dissilirent, percepit, eoque
ipso mox aliquot frustula calculi fracti cum lotio de-
jicit, quæ deinde per plures dies alia secuta sunt, do-
nec tandem ab eis liberatus bene atque pancratice ab
omnibus & calculis & calculi doloribus, immunis
nunc vivat. Calculos plures una in hoc viro fuisse
majores,

maiores, quam ut integri per urethram transfire potuerint, docent primo diversus color diversorum frustularum, quorum nonnulla fuscum obtinent colorem, alia flavescentem ad sulphuris colorem aliquo modo accedente, quemadmodum ex his adjectis frustulis perspicere est. Deinde id evincunt diversa horum frustularum segmenta: quorum alia majoris alia minoris arcus segmenta sunt. Quod ad numerum attinet frustorum, centum circiter ejusmodi mihi dedit, qualia Tibi, Vir amicissime, nunc offero, quae ex matula collegit. Sancte vero mihi affirmavit, magnam eorum, immo forte adhuc majorem copiam in terram decidisse & periisse, cum saepe ruri, vel in sylvis, vel in stabulis ad res domesticas curandas degens, mejendi stimulo fuerit correptus, atque sic multa cum urina vel in terram, vel inter herbas aut stramina ejece-rit. Nonnulla horum frustularum dimidium pollicem æquant, plura minora sunt, eorumque superficies externa convexa, interna in plerisque concava, alia nucleum, ut vocant, calculi adhuc exhibent.

Habes igitur, Vir generosissime, exemplum recens & certum, quamplurimis hic & in vicinia notum, calculi vesicæ dissoluti & excreti sine lithotomia, ubi Vir, qui eo laboravit, adhuc hodie, dum hæc scribo, vivit & valet. Ipseque Vir est honestus, antiquæ & germanæ fidei, cui, ut hac in re fallat aut mentiatur, nulla est causa. Notus est morbus olim perpeccus hominibus quamplurimis; nota jam est ejus secunda valetudo omnibus, qui eum norunt. Calculorum fractorum ingens copia & facies, quod revera vesica fint, rem ulterius confirmat, ita, ut certi esse possumus, hæc frusta revera in vesica ejus integros calculos fuisse, qui postea in vesica, nescio utrum medicamentorum,

camentorum, an cerevisiae illius, an naturæ beneficio disrupti & expulsi sint. Ex segmentis frustulorum valde convexis, quæ hic mitto, & quæ adhuc adservo, judicare licet, vix ullum illorum calculorum nucem moschatam superasse, plures vero minores fuisse. Interea tamen solutionem calculorum in vesica haud prorsus impossibilem esse, mihi evincere videntur, licet res forte quam rarissime contingat. Vale mihiique fave.

Dab. Helmstadii in Academia Julia ipsi Calendis Octobris, M DCC XXX.

IV. *A Letter from the Reverend William Derham, D. D. Canon of Windsor, and F. R. S. to Sir Hans Sloane, Bart. Praef. Coll. Med. & R. S. concerning the F R O S T in January, 173^o.*

THE late Frost having been almost as intense as any that hath been for many Years, I send you my Account of it; which if you think worth the Cognizance of the Royal Society, be pleased to impart it to them.

In the *Philosophical Transactions* for November and December, 1709, Numb. 324, I have given an Account of some of the most remarkable Frosts that I could find any Relation of; and particularly of that great and, I had almost said, universal one in 1708, which the Society had very good Histories of from divers Parts, and which, in that *Transaction*, I have given an Account of from the Original Papers, which the